



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

2. Et quòd multi errent, dicentes legem esse abrogatam, & quòd Deus  
exigat solam fidem in Christum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

litatem erga Deum, secularia atque mundana desi-  
deria, id est, diuitias, honores &cæt. quare sobrie er-  
ganos, iustè erga proximum, piè erga fideles, id est,  
Deum, viuamus in hoc seculo, &cæt. Et ut quidem  
hæ lex charitatis, lex Christi atque Euangelij, non  
obliuisceretur, vtque præstemus obedientiam illi,  
aut ne quis diceret, præcepisti, sed non dedisti vnde  
possim satisfacere: effundit in nos abundè spiritum-  
sanctum, in lauacro regenerationis, ad Tit. tertio: vt  
his nunc in lege Euangelica adiuuet infirmitatem  
nostram spiritus, Romanorum octauo: quatenus ser-  
uetur lex Christi: quo fit, vt nemo nunc de impossi-  
bilitate legis Euangelicæ iustè conqueri possit, quod  
illam præstare non queat. Omnia possum in eo qui  
me confortat, ad Philipp. quarto inquit Apostolus:  
omnes accipimus spiritum gratiæ, & ille multò for-  
tior est imbecillitate carnis nostræ, multò efficacior  
est gratia, quam peccatum. Romanor. quinto: ideo  
peccatum dominari non potest, si quis saltem illam  
non in vanum acceperit, 2 Corinthiorum sexto. Mul-  
tò igitur fortior est Spiritus sanctus, quam Tyrannus  
carnis nostræ: benè potest hunc ille reprimere, quare  
homo baptizatus inexcusabilis manet.

Ex utroque ergo populo credentes, nunc vna fi-  
de patrem in spiritu adorant, Ioan. quarto: & vnam  
simul legem charitatis atque Christi habent, quæ di-  
lectio est plenitudo legis, id est, si verè aderit, plus vr- Rom. 13.  
get, quam lex naturæ aut scripta. Hoc enim efficit  
Spiritus sanctus, cuius fructus est charitas, Gal. quin-  
to. Igitur nos nunc coæti, vel natura aut coactione  
legis, sed liberè ac voluntario spiritu in laudem &  
gratiarum actionem redemptionis nostræ: præstare  
debemus legi Christi obedientiam, qui sanguinem  
suum fudit, & mortuus est pro peccatis nostris, & re-  
surrexit propter iustificationem nostram, Romano-  
rum quarto. Ethæc ratio est, cur ubique Christus

scriptura & Euangelium post fidem adeò vrget dilectionem, & sic vnit atque coniungit hæc duo, fidem & legem charitatis, quod vnum sine altero parum aut nihil prodeesse asseuerat. ad Corinthios ait, Si habueris omnem fidem, & charitatem non habeam, fatus sum sicut æs sonans &cæt. 1. Corinthiorum, Hanc commendat vbiique & exigit Romanorum, Galat. quinto: Fides quæ per dilectionem operatur, & C H R I S T V S Ioan. 15. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem. & iterum, In hoc cognoscet mundus, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. & Ioann. in canonica sua prima nihil adeò vrget, sicut charitatem DEI & proximi. Qui illam ergo non habuerit, non habet vnde glorietur multum de inani illa fiducia. E quibus sequitur, quoniam facti sumus per fidem vnum populus, atque omnes iustificati gratia Iesu Christi per sanguinem ipsius, Romanorum tertio, vt nunc nos non putemus adeò liberatos ab omni lege, quin tenemur legi Christi, quam nisi obseruamus, restabit sententia Matth. septimo: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, &cæt. Primo, quia ingratus est beneficio iustificationis: deinde ingratus dono spiritus sancti, qui paratus est te iuuare, si tuam voluntatem conformares. Nihil igitur valebit iactatio in nisi fiduciæ, si neglecta fuerit obedientia legis Christi. Neque docetur, quod obedientia legis C H R I S T I mereatur iustificationem, quam iam fides gratias accepit propter Christum: sed quatenus obseruatio hæc legis Euangelicæ sequatur iustificationem, atque illam retineat, vt promissio salutis non fiat falsa, alioqui neque saluaberis: ideo adeò necessaria est atque exigitur, sicuti fides in suo loco, tametsi non sit causa propter quam distribuatur vita, sed sanguis C H R I S T I: non igitur nimis securum esse oportet propter sterilem illam fiduciam, cō quod tonum

Euangel.

Evangelium non frustrà à Christo est demandatum:  
quod si sola fiducia sufficeret, non opus fuisset do-  
nare etiam Euangelicam legem, scilicet dilectionem  
&cæt. Lex igitur charitatis omni hora & momen-  
to obligat Christianum ad obseruantiam, sicut Apo-  
stolus Romanorum 13: inquit: Nemini debeatis quic-  
quam, nisi ut inuicem vos diligatis. Hæc sola chari-  
tas semper obligat Christianos, & sic soluitur,  
quod tamen semper debetur, &cæt. sicut fi-  
des nostra erga Deum semper durare  
debet, ita & charitas erga pro-  
ximum.  
(∴)

F I

N

I S

## LIBRI TERTII.

## II 4 CATE

